

Praefatiuncula ad lectores.

Cuivis hunc qualemcunque libellum inspicienti ea sua sponte obtrudetur quaestio, quibus causis adducti, nos, alumni adhuc scholae Misnensis regiae, libellum tali indutum forma et tali instructum argumento typis excudi et publicae luci adponi curaverimus. Multi quidem operam nostram perditam librumque levem ac vilem, forsitan adeo plane delendum censebunt. Sed hi erunt fere, qui, expertes omnis in iudicando indulgentiae, nihil, nisi quod summae perfectionis laude floreat, probandum autument. Enimvero aliam juvenes, aliam viri scribendi materiem sibi sumunt, alia oratione literarum opes delibantes, alia longo earum fructu delectati utuntur; et omnes ex ingeniorum viribus animorumque facultatibus sunt metiendi. Alii porro nos vana libri editi gloriola, seu auctorum nominis pruritu compulsos huncce libellum evulgasse criminabuntur. Minime vero. Quae tandem haec foret gloria,